



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. 10. Quot modis peccetur in octavum hoc decalogi præceptum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

## §. X.

*Quot modis peccetur in octavum hoc Decalogi præceptum.*

PECCANT in primis contra octavum hoc Decalogi præceptum, qui deliberate mendacium aliquod proferunt; quod quidem erit mortale, si honori divino aut proximi bono sit perniciosum: peccant etiam qui per hypocrisim vitæ sanctimoniam fingunt, quod peccatum adhuc gravius erit, si ex illo sequatur aliquod proximi damnum, ut si id fiat ad disseminandos errores. Item qui habitu aut vestibus mentiuntur sexum; ut si fœmina veste virili, aut vir fœminea induatur, si id fiat propter aliquem prætextum finem; aut ex eo peccati alicuius aut scandali periculum imminet.

Peccant, qui sine legitima autoritate iudicis sibi officium arrogent, aut illud ambiunt, quamvis legum ac iuris ignari. Item iudices, qui notitiam illam iuris & legum conservare negligunt: qui de causa aliqua ad se non pertinente iudicialiter cognoscere, & sententiam ferre præsumunt. Qui contra allegata & probata, aut contra leges & iura iudicant: qui formam à iure præscriptam in iudicando non servant: qui sine ulla præcedenti infamia, aut aliis sufficientibus indicis, de occulto alicuius crimine iudicialiter inquirunt, reum indebitè interrogant, & ad respondendum cogunt: qui favore, vel respectu aliquo humano, aut alio quovis pravo affectu à recto iustitiæ tramite deflectunt, sive iniustam ferendo sententiam; sive causarum expeditionem notabiliter differendo, aut aliquid aliud iustitiæ contrarium faciendo, aut fieri permittendo: qui pro sententia ferenda, aliisq; actibus iudicialibus aliquid exigunt ultra id, quod pro iusto & honesto stipendio ex lege vel legitima consuetudine accipere licitum est.

Peccant qui crimen aliquod bono communi perniciosum non denunciant, quando commodè id possunt: qui contra alterum litem intentant ex odio, vindictæ appetitu, aut

quovis pravo affectu : qui fraude, aut iniusto aliquo processu in litibus utuntur.

Peccant qui ad testimonium ferendum citati, & à legitimo iudice secundum iuris ordinem interrogati aliquando falsum aut ambiguum, & contra ipsius iudicis mentem respondent: quod & similiter de ipsius accusatis & reistelligi debet; qui etiam præterea peccant; quando iudicem legitime aliquid statuenti, aut iustitiæ ministris illius iustitia exequentibus resistunt, aut vim aliquam inferunt,

Peccant etiam contra hoc præceptum qui alterius honori contumeliam irrogant; in eum verba probrola & iniuriosa proferunt, eidem peccata occulta palam exponunt; aut alia quavis cum irrisione, & contemptu obijciunt.

Peccant qui alterius famam secretò detrahunt; illi crimen aliquod falsum imponunt; aut verum malitiosè adaugent; aut eius peccatum occultum manifestant, vel rectè factum perperam interpretantur. Item qui rectè facta alterius inficiantur, vel eadem extenuant, aut de illis silent, vel ea frigide, ac simulatè laudant; cum ex silentio illo, & frigida seu simulata laude sequitur aliquod in proximo famam dispendium.

Item qui alterum ad detrahendum alliciunt, aut illius detractione delectantur; vel qui cum possint & debeant detractionem non impediunt: qui susurrationibus causant discordias: qui libellos diffamatorios scribunt, aut in vulgus spargunt; illos pravo animo legunt, asservant, aut aliis legendos tradunt.

Peccant denique qui deliberatè ac temerè aliquid male de proximo iudicant vel suspicantur: qui actiones illius honestas vel indifferentes malè interpretantur.

§. XI.

*De restitutione ob huius octavi præcepti violationem faciendam.*

**D**UPLEX restitutio occurrere potest ob huius præcepti violationem faciendam, pro duplici damno famam seu hono-